

aut scribamus, aut in quolibet exemplo de iis, quae proposita sunt, hoc idem exerceamus, ut quam facile factu sit).

Ac de partibus quidem argumentationis satis nobis dictum videtur. Illud autem volumus intelligi, nos probe tenere, aliis quoque rationibus tractari argumentationes in philosophia multis et obscuris, de quibus certum est artificium constitutum. Verum illa nobis abhorrere ab usu oratorio visa sunt. Quae pertinere autem ad dicendum putamus, eo nos commodius, quam ceteros, attendisse, non affirmamus; perquisitius et diligentius conscripsisse pollicemur. Nunc, ut instituimus, proficisci ordine ad reliqua pergemus.

Herenn. IV. 30.—*Conclusio* est, quae brevi argumentatione ex iis, quae ante dicta sunt aut facta, conficit id, quod necessario consequatur, hoc modo: *Quod si Danaos datum erat oraculum, non posse capi Troiam sine Philoctetae sagittis, hae autem nihil aliud fecerunt, nisi Alexandrum perculerunt: hunc extinguere, id nimirum capere fuit Troiam.*

Rhetor. 1. 28. *Simplex conclusio* ex necessaria consecutione conficitur, hoc modo: *Si vos me istud eo tempore fecisse dicitis, ego autem eo ipso tempore trans mare fui: relinquatur, ut id, quod dicitis, non modo non fecerim, sed ne potuerim quidem facere.*

Div. II. 19. *Conclusio rationis* ea probanda, in qua ex rebus non dubiis id, quod dubitatur, efficitur.

Top. 14. Reliqui dialecticorum modi plures sunt, qui ex disjunctionibus constant; *Aut hoc, aut illud: non autem hoc; illud igitur.* Quae conclusiones idcirco ratae sunt, quod in disjunctione plus uno verum esse non potest.

Div II. 4. Quemadmodum *Soriti* resistas? quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare; sed nihil opus est: ut enim ipsa philosophia, et multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est.